

Forum Romanum Editio XXII: De Disciplina Puerili

March, 90 A.D.

I. SALUTATIO

Favonius: Salvete, omnes! Mihi nomen est Marcus Favonius et hoc est Forum Romanum! Quid novi est hodie? Summatim praedicam: Hodie tractabimus disciplinam puerilem aut educationem liberorum. Nostra Iulia Pauli loquetur cum quodam ludi magistro et posthac Aulus Serenus de tempestate hodierna eloquetur. Deinde, his dictis, a Scirto Agitatore audiemus de ludis. Omnia haec—plus etiam—agentur hac editione Fori Romani. Ante omnia, autem, ecce Dictum Hodiernum!

II. DICTUM HODIERNUM

Lector: Hoc est dictum hodiernum: Qui non est hodie, cras minus aptus erit. (“Whoever is not prepared today will be less so tomorrow”)

III. QUID NOVI?

Favonius: Verba notanda. Et nunc videamus quid novi sit. Quinquatrus, dies festi Minervae, finitae sunt. Heri, ut omnes sciunt, erat dies ultimus Quinquatruum, qua de causa collegia fullonum et fabrorum quam festivissime sollemnitates agebant. Atque hodie, Quinquatribus finitis, liberi honesti totam per Romam ad ludos magistrorum grammaticorumque multo mane iverunt. Prima luce, aut re vera ante lucem ipsam, licet videre paedagogos barbatos liberos semisomnos ducentes per vicos Urbis. Ut plus videamus de his rebus, eamus nunc ad Iuliam Pauli quae est in Foro.

IV. PERSONA NOTANDA

Iulia: Gratias, Favoni. Adsum in Foro apud tabernas. Hodie visitabimus quendam ludum magistri ubi nunc liberi egregii disciplinis optimis student. Agite, venite mecum!

Magister: Ergo, omnes uno ore versum conficite: “Arma virumque cano...”

Discipuli: “...Troiae qui primus ab oris”

Magister: Musa, mihi causas memora...”

Discipuli: “...quo numine laeso”

Magister: Quinte, tu solus, “quidve dolens regina deum...”

Quintus: “...tot volvere casus”

Magister: Bene. Perge nunc, Marce. “insignem pietate virum...”

Marcus: “...tot adire labores”

Magister: Recte dixisti, Marce. Et nunc, “Urbs antiqua fuit...” Hortensia?

Hortensia: “...Tyrii tenuere coloni”

Magister: Satis bene, omnes. Et nunc, exerceamus paulisper Graece.

Quintus: Vae nobis...

Magister: St! Sequimini me dicentem: *exo* – habeo. Marce?

Marcus: *exeis*– habes, *exei* – habet, *exousi* – habemus

Magister: *exousi* – habemus? *exousi* Esne tu certus?

Marcus: Mane, sis. Nunc memini. *exomen* – habemus.

Magister: Constat. Perge, quaeso.

Marcus: *exete* – habetis, *exousi* – habent.

Magister: Multo melius. Et nunc uno ore omnes reddite Latine: “*Gnothi seauton*”

Discipuli: “Nosce te ipsum!”

Magister: “*Meden agan*”

Discipuli: “Ne quid nimis!”

Magister: Bene. Et nunc exerceamus vocabulis Homericis. Incipiamus: *anthropos*

Discipuli: homo!

Magister: *demos*

Discipuli: populus!

Magister: *Helios*

Discipuli: Sol!

Magister: *oikos*

Discipuli: domus!

Magister: *ophthalmos*

Discipuli: oculus!

Magister: *hydor*

Discipuli: aqua!

Magister: *hypnos*

Discipuli: somnus!

Marcus: Somnus me mox capiet.

Magister: Tace! Si tanta est tibi voluntas loquendi, Marce, eloquere clara voce versum primum *Odysseae* Homeri.

Marcus: Me paenitet, magister, sed nescio.

Magister: “Nescio”? Cur nescis?

Marcus: Nescio cur nesciam. Hoc tantum scio: nescio.

Magister: Ne sis tam molestus, Marce. Aut fortasse velis me suscipere ferulam?

Marcus: Certe nolo, magister. Modo est lapsus memoriae. Nonne “aliquando bonus dormitat Homerus?”

Magister: Tibi dico, Marce: Hic est locus discendi, non ridendi. “Aut disce aut discede.”
Tenesne quid dicam?

Marcus: Teneo. Fortius conabor, magister.

Magister: Fac ut ita agas. Sed tamen, quis vult mihi responsum dare? Hortensia?

Hortensia: “*Andra moi ennepe, Mousa, polytropon, hos mala polla plangthe*”

Magister: Optime, Hortensia. Gaudeo unam e discipulis meis *iam* fortius conari!

Marcus: Quid refert? Modo puella haec est, ergo quid opus est litteris? Numquam orator aut praetor aut, re vera, consul haec erit!

Magister: Melius docta mulier quam consul stultus, Marce. Si quando tu velis esse consulem, discas nunc litteras et omnes alias artes bonas. Memoria teneto: “Qui non est hodie, cras minus aptus erit.” Nunc tace aut vapulabis usque.

Marcus: Taceo etiam. Sed avus dixit oportere puellas *domi*, non foris, disciplinam accipere; atque disciplinam idoneam puellis non esse litteras bonas sed fidibus canere.

Magister: Hortensia adest quod pater vult. Tene tuas tibi, Marce. Et nunc, responde mihi, Quinte. Quis optime emendateque reddidit *Odysseam* Homeri Latine?

Quintus: Livius Andronicus.

Magister: Recte respondisti, Quinte. At vero, iam satis est. At tamen, eundum est. Valete, omnes!

Discipuli: Vale, magister!

Iulia: Magister, licetne mihi rogare pauca?

Magister: Licet. Sed brevissime, si potes. Etiam mihi est prandium!

Iulia: Ita vero. Breviter loquar. Unde venisti et quam diu ludi magister fuisti?

Magister: E Graecia venio. Athenis. Ludi magister et grammaticus fui iam decem annos. Prius paedagogus eram quinque annos.

Iulia: Tu ergo multos annos iam versatus es in puerili disciplina?

Magister: Recte dicis. Multi viri egregii—senatores etiam—filios mihi erudiendos in disciplinam tradiderunt.

Iulia: Constat. At vero, nil temporis relictum est. Gratias tibi ago, magister, et cura ut valeas. Totum est, Favoni, rursus ad te!

V. TEMPESTAS HODIERNA

Favonius: Tempus est audire de tempestate hodierna. Itaque, ecce Aulus Serenus!

Serenus: Gratias tibi ago, Favoni. Bene memini, cum adhuc essem servus, aliquando paedagogus vetulus—patrono insciente—aliquid disciplinae mihi tradidit. Itaque cum filiis domini didici et geographiam et elementa astrologiae, cuius disciplinae nunc peritus sum. Etiam, sicut omnes pueri illis diebus, didici a memoria Duodecim Tabulas, tametsi mihi servo nil opus erat legibus. Sed tamen, videamus quaenam sit tempestas hodie. Hodie Romae Iuppiter pluit aliquando et aliquando Apollo currum agit manifeste per caelum. In aliis partibus Maris Nostri (aut Maris Interni—ecce quam bene didici geographiam meam!), Iuppiter pluit plerumque—in Hispania et Africa et Aegypto et Asia. In Graecia, quo iter fecit filius domini mei ut philosophiae rhetoricaeque studeret, etiam pluit. In Gallia et Germania Britanniaque, nec mirum, pluit usque. Sed tamen, iam satis est. Aulus Serenus sum atque spero caela sint vobis valde serena!

VI. DE LUDIS

Favonius: Multas gratias, Serene. Et nunc, ut de ludis audiamus, praesto est Scirtus Agitator!

Scirtus: Avete omnes! Scirtus Agitator nominor itaque eamus ad ludos! Sed prius, volo haec dicere: Me puero, nihil paedagogi aut ludi magistri aut grammatici aderat. Non opus erat—et scilicet non *opes* erant. Eruditionem aut disciplinam mihi accepi in triviis et angiporis Suburanis atque apud Campum et Forum et sane Circum! Nec Platonem vertere nec aliquid e Ciceronis libris excerpere didici. Immo etiam, pugnare, certare, laborare, nil desperare—omnia haec mea studia erant. Nil mea refert latinitatem meam esse pro luto aut bis bina quot sint non didicisse! Et nunc, de ludis: Factio Albata septem cursus vicit. Factio Prasina sex cursus vicit, Russata etiam

sex et Veneta quinque. Unus auriga, lapsus e curru et habenis implicatus, usque ad mortem tractus est. At vero, haec est vita aurigae, ut ego bene novi. At tamen, ut dicunt in ludis scaenicis “Acta est fabula!” Itaque, spectator bone, vive valeque et otiosus esto!

VII. VALEDICTIO

Favonius: Sed tamen, ut repetamus nuntios principales: Hodie, Quinquatribus Minervae celebratis, multi pueri et nonnullae puellae totam per Urbem ad ludos litterarum et scholas redierunt. Totum ergo est ad hanc editionem Fori Romani. Gratias summas agimus et vobis feliciter eveniat. Valet omnes!